



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata

In Qvatvor Tomos Distincta

Humanæ salutis Monumenta, & Odæ variæ

Arias Montano, Benito

Antverpiæ, 1589

Ad Devm. Concitatam in se inuidiam deprecatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44973

Concitatum in se inuidiam deprecatur.

QVI summa prudens imaque prospicis
 Iniuriarum fraudis & arbiter,
 Seuerus obliquæ nocentum
 Inuidiæ scelerisque vindex.
 Pauperculorum cerne Pater pecus,
 Nati redemptum supplicio rui,
 Cui graminis pastum salubris
 Suppeditas fluuiosque pueros.
 Erecta te Spes candida, te Fides
 Laudant secutæ, & præsidium sibi
 Certum fatentur, te fauentem
 Simplicitas Probitasque norunt.
 Videns Leonum quàm rabidus furor
 Frendens quiles me pecudem tuâ
 Circumstet imbellem, luporum
 Acre genusque olidæque vulpes,
 Immanis vrsæ me soboles ferox
 Contentiosis insequitur minis,
 Iniurioso crebra morsu
 Turba canum miserum fatigat.
 Horum ipse nunquam cæca cubilia
 Tentauit, & horum non adij specus,
 Non ore gustare aut cruentas
 Horum epulas memini me auenti.
 Scis me reducti montis in arduam
 Rupem propinquam nubibus, auios
 Optasse securum recessus,
 Graminaque innocuosque riuos.
 Vicina noster non tetigit grauis
 Pes rura cuiquam, vel fata, vel nemus,
 Nec bullientis pura fontis
 Lympha meo est remerata gressu.
 Scis me viarum, quas bonus approbas,
 Errasse nunquam callibus exteris,
 Herbamve fallacis veneni
 Aut veritas petiisse frondes.
 Senti laborem (nam fateor) mali
 Morbi, sed illum non mala mens mihi

Ast

Aft impotentis culpa prauī
 Congeniti & vitij ferebat.
 Sed me dolentem tu medica manu,
 Tu voce Pastor prouidus eripis,
 Præceptor & monstras cauendum
 Detegis ac monitor periculum.
 Te nolle iuras perdere languidum
 Pectus, fouendam sed pecudem bonus
 Disquisis errantem repertor
 Impositamque humeris reportas.
 Nunc ipse tantis rictibus vndique
 Dum voce, magno dum fremitu petor,
 Miranda spectanti stupentum
 Prodigia exhibeo coronæ.
 Non membra, non sunt pinguia viscera
 Parco ciborum & graminis aridi,
 Non detrahendis apta longis
 Vellera sunt mihi densa lanis.
 Simplex canenti vox superest mihi
 Formata certè muneribus tuis,
 Qua te Parentem, qua vocare
 Te soleo Dominum Deumque.
 Hæc dona (quæ tu laudibus in tuis
 Adscribis alio numine) perdere
 Conatur in me turba frendens,
 Et studio insequitur nocendi:
 Non dens mihi, non cornua, queis malos
 Vitare possim, vertere & impetus,
 Non calcis extremum fugacis
 Præsidium aut fuga certa crurum.
 Primis ab annis sepius agnitæ
 Spes vna curæ mi reliqua est tuz,
 Istoque mens firmata semper
 Consilio auxilioque dolci,
 Tuum tueri perge opus, ac tuis
 Assertor adsis laudibus; haud sine
 Celandâ nostro pulchra casu
 In tenebris tua dona mergi.
 Erroris aut si criminâ nunc mei
 Punire mens est, ipse tuis Pater
 Exerce virgis, & salubri
 Corrige me baculo reductum.

Aft

1 2

Clementiz

Clementiæ qui dum corripis immemor
 Nunquam fuisti, percutis ac doles,
 Plagasque constanter ferentum
 Prouidus assiduusque curas.
 Vel si inuidorum dentibus asperis
 Me vis perire; ast da tamen vnico
 In me fames pellatur horum
 Et feritas inimica sistat.
 Nostri cruoris vi Pater hos pios
 Mitesque redde, ac munificus, doce;
 Prodesse quo discant tuisque
 Muneribus sapienter uti.
 Namque ipse quondam vertere iam lupum in
 Agnum sciebas; tuque furentium
 Infana mutabas in alium
 Vasa decus placidumque in vsum.
 At verò iniquis munera si tua
 Spectantur in me luminibus, precor
 Illos adornent vt benigna
 Plura manu & meliora per te.

DE MORTE IOANNIS

DELGADI.

Eheu damna mei plurima seculi
 Cogor continuos cernere per dies,
 Vexorque immodicis luctibus impotens
 Addicorque doloribus!
 Oris me quibus ô propitius Deus
 Expertem pauidi sistere nuncij,
 Assuetæque diu mœstitiæ volet,
 Afferre & lachrymis modum?
 Quis nunc Hesperia casus in vltima,
 Terram præcipiti concutit impetu,
 Cuius me subitus tam procul hospitem
 Romæ permoueat fragor?
 Ergo terra tegit te, bone Delgade,
 Et Tyde exiguo membra premit tua
 Saxo? membra animus quæ tenuit pius,
 Priscæ laudis & æmulus.

Quales